



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. De Oblatione, Primitiis, Decimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066




EXAMEN XIV.

De legibus in particulari circa materiam de
Decimis ad præceptum quintum
Ecclesiæ.

CAPVT PRIMVM.

De Oblatione, Primitiis, Decimis.

- §. 1. 1. **Oblatio.**  *Vid est Oblatio? Exterior actio, per quam ex bonis sensibilibus aliquid Deo offerimus in recognitionem dominij eius, & seruitutis nostræ ad ipsum, vel in quemcunque cultum religiosum Dei. Variis titulis deberi possunt oblationes, easque offerre non potest nisi baptizatus. Deo fiunt, & hominibus Ecclesiasticis, & fieri aliquando possunt ex debito, & voto.*
- §. 2. 2. *De Primitiis quidnam? Primitiæ ex primis terræ fructibus frugum oblationes sunt. Eas offerre Deo de iure naturæ est. Olim erant in præcepto, & nunc etiam in lege gratiæ præcipiuntur.*
- §. 3. 3. *Decima quid? Decimæ ex Ecclesiæ præcepto sunt, & ratione congruæ sustentationis ministris debitæ de iure naturali, in lege gratiæ confirmata.*

CAPVT III.

De personis, à quibus danda Decima, de quibus rebus soluenda sunt, & queisnam personis.

- §. 1. 4. **Solvens decimas.** **Q***uoniam persona ad decimas soluendas obligantur? Omnes fideles. Vnde gentiles non comprehenduntur, neque Iudæi, siue de prædialibus, siue de personalibus sermo sit. Sacerdotes non solvunt. Pauperes soluunt modò in extrema necessitate non sint. Ministri Sacramentorum non tenentur ad decimas, at clerici ea recipientes tenentur, & quidem ex prædiis seculari titulo possessis, non ex lucris spirituali titulo acquisitis,*

5. Tenentur